

Die 4 decembris

B. ADOLPHI KOLPING, PRESBYTERI

## Memoria

Adolphus Kolping filius opilionis die 8 decembris anno 1813 in Kerpen prope Coloniam sito natus est. Post ludum loci artem sutrinam didicit. Hac arte non contentus et consilio sacerdotii petendi captus ab anno 1837 in „Marzellen-Gymnasium“ Coloniae studia humaniora absolvit. Studiis philosophiae et theologiae Monaci, Bonnae, Coloniae peractis, die 13 aprilis anno 1845 Coloniae in ecclesia quondam Minoritarum presbyter ordinatus est. Vicarius cooperator in Wuppertal-Elberfeld (1845–1849), civitate industriis quaestuosis affluenti, miseras extremas operariorum expertus est. Iuvenum consociatione, quae a Ioanne Gregorio Breuer magistro condita erat, incitatus Kolping vocationem propriam repperit, ut operarios et artis opifices iuvenes in necessitatibus socialibus adiuveret eosque in ecclesiam integraret. Vicarius Ecclesiae Metropolitanae Coloniensis factus, anno 1849 „Societatem Catholicam Opificum“ fundavit, e qua „Opus Internationale Kolping“ ortum est. Adolphus Kolping die 4 decembris anno 1865 mortuus est. Sepulchrum eius in ecclesia Minoritarum, cuius rector ab anno 1862 fuerat, mox post mortem eius veneratum est.

De Communi pastorum, Vol. I, 1001.

## Ad officium lectionis

## LECTIO ALTERA

Ex homília beati Adolphi Kolping, presbyteri

(Adolph-Kolping-Schriften. Kölner Ausgabe Bd. 3, 1985, 128 f)

## Tempus est agendi et movendi

Hómines non tam mali sunt, quam saepe habéntur. Manu vere christiána eos apprehéndite, et cito errórem vestrum perspiciétis. Quod non raro in vita reppérimus et omni die íterum reperímus. Et dum aliórum hóminum fides in homines tabéscere vidétur, nos eam créscere vidémus – Deo gratias! Ecce, crédimus in homines, crédimus praesértim in iúvenes operántes, étsi vítia habent, étsi pér-

diti sunt, etsi moribus saeculi nostri corrumpuntur. Et quia in eos credimus, non fatigamur operantes pro eis.

Insuper in maiores res quam homines credimus: credimus et in Deum. Et cum in eum credamus, cum rem Christianam tamquam vitam activam, tamquam efficacitatem ad salutem cognoscamus, ideo non in nosmetipsos confidimus, sed in virtutem victricem fidei Christianae, et illi virtuti Dei cogimur ministrare. Quod res multae nostra aetate in deteriorius convertuntur, quod vita socialis contracta et discissa est, nos, qui vere in rem Christianam credimus, eam traderemus, nisi hoc ipso tempore omnibus viribus – propriis aliisque in eandem finem operantibus – res in meliora converteremus et servaremus, quae servari possunt. Nunc non habemus tempus otiaendi, spectandi, nihil curandi, cum fletu et luctu querendi! Tempus est agendi et movendi, unicuique ad mensuram virium eius. Non necesse est omnia posse, sed aliquid boni et fructuosi. Nisi potes agere solus, poteris una cum aliis. Hic non vere Christianus est, qui recedit ab actionibus communibus, non vere Christianus, qui non libenter rebus communibus interest et serviens agit.

Qui in Deum credunt, et in homines credere debent; et qui in rem Christianam vivide credunt, spiritu eius agere debent.

## REPONSORIUM

Ps 111,5.6

**R.** Iucundus homo, qui miseretur et commodat. \* Dispónet res suas in iudicio.

**V.** Quia in aeternum non commovébitur; in memoria aeterna erit iustus. \* Dispónet.

## Oratio

Deus Pater misericors, qui beatum Adolphum Kolping de arte sutrina ad sacerdotium vocasti, ut per eum iuvenes e miseriis spirituálibus et socialibus eriperes, da nobis, quaesumus, eius intercessióne, ut res adversas temporum nostrorum cognoscamus et fratrum necessitatibus, te adiuvante, subvenire possimus. Per Dóminum.